



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De differentia inter virtutes, dona, beatitudines, & fructus secundum
gradum, & finem. Cap. Ll.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

iusto per gratiam. Secundò, vt disponente, & sic fruimur virtutibus, quæ disponunt nos ad beatitudinem obtinendam. Tertio, vt perficiente & præmium eliciente, & sic fruimur charitate. Quarto, vt mouente aut imperante, & sic fruimur voluntate. Quintò, vt beatificante, & sic fruimur solùm Deo. Et dicitur propriè fruitio, quia fruitio duo importat, scilicet delectationem, & omnimodã quieratione, propter affluentiam omnis boni, quo totus appetitus quietatur ex coniuncti-
 one finis vltimi. Fruendum est igitur propriè solo Deo, quia fruitio-
 nis obiectum est summa bonitas, summa felicitas, summa satietas, & finis vltimus, animæq; centrũ, in quo solùm natura humana perfectè
 quietari potest. Dicimur tamen etiã frui virtutibus, & opera virtutum
 propterea dicuntur fructus quadruplici ratione. Primò, quia de spiritu
 quasi de ligno vitæ colliguntur. Secundò, quia propter se à spiritu ra-
 tionali appetuntur. Nam secundum Augustinum, frui est amore inha-
 rere alicui rei, propter seipsam. Tertio, quia cum spiritali delectati-
 one & gaudio habentur. Dicit enim Augustinus, quòd frui est vt cum
 gaudio. Quarto, quia spirituales humores, id est boni mores inde ge-
 nerantur. Deniq; secundum Alexandrũ de Hales in illa definitione
 Augustini, frui est amore inharere alicui rei propter seipsam, amor
 cõmuniter accipitur ad omnes virtutes Theologicas. Comprehendit
 enim amorẽ summæ veritatis, qui est fidei; & amorem expectatæ bea-
 titudinis, qui est spei; & amorem summi boni, qui est charitatis.

*De differentiâ inter virtutes, dona, beatitudines, & fructus secun-
 dum gradum, & finem. Cap. L. I.*

Apoc. 22.

*S*ub umbra illius, quem desideraueram, sedi, &c. Isti sunt fructus li-
 gni vitæ, de quibus habetur in Apocalypsi, qui crescunt ex utraque
 parte fluminis, id est, vitæ præsentis, & futuræ. Sed in statu præsen-
 tis miseriæ profert fructus imperfectos, & immaturos: in statu ve-
 rø gloriæ profert maturos: quos non secludit ab inuicem, nisi fluuius
 mortalitatis vitæ præsentis. Citra flumen enim sunt iusti perfecti
 in præsentis vita, & ultra flumen sunt beati in patria. Est autem fru-
 ctus iste dulcedo quadam in præsentis, vel refectio siue pragustatio in-
 effabilis delectationis vitæ futuræ, subsequens in anima beata, ex ad-
 ceptione finis, & vltimi expectati. Sicut enim fructus corporalis ab ar-
 bore procedit ad finem, vt quis eodem fruatur, sic actus nostri procedunt à Spiritu sancto, vt mens hominis bene ordinetur, & eisdem de-
 lecta.

Fruitus spi-
 ritus quid.

delectabiliter fruatur: quamuis in se nullo modo delectabiles sint. In quo fructu praesens miseria fit tolerabilior, & in operatione fit homo feruentior: quia coauget operationem propria delectatio, & fini fortius adheret ab omni alio subtractus, eò quod anima sancta perfectioni suae coniungitur, & in delectationem verissimam immoritur. Quod autem amplius delectat, id feruentius operemur necesse est. Unde sicut fructus Spiritus sancti, est vltimum expectatum in vita spirituali, vt scilicet fruibiliter quis virtutes possideat, tam in agendo, quam in cavendo & patiendò; sic etiam in homine summam videtur exigere perfectionem: quia sicut donum potest in id, in quo non potest virtus, vt virtus; & beatitudo in id, in quo non potest donum secundum rationem doni: sic & fructus potest in id, in quo non potest beatitudo sub ratione beatitudinis, quia non se nper beatus beatitudine via percipit fructus. Virtutes enim & dona, & beatitudines sunt habitus, sed fructus sunt delectationes ex actionibus illorum circa obiectum provenientes: virtutes etiam acquisitae, vt acquisitae; differunt ab eisdem vt gratuita, & etiam à donis ac beatitudinibus, non solum secundum gradum, sed etiam secundum finem. Pro quo notandū, quod virtutes acquisitae tam morales, quam speculatiuae finem habent boni operationem, vel veri cognitionem, vt est sistens intra limites naturae, & modo naturali, quia, vt purè acquisitae, finem habent adum perfectum. Virtutes autem, prout sunt gratuita, finem habent operationem circa bonum, & cognitionem circa verum, super limites naturae, & modo supernaturali: quia factae per charitatem, quae est forma virtutum, alium finem sibi praestituunt, quam ex se habent, in quantum purae sunt acquisitae, quia prout gratuita sunt, finem suum habent finem charitatis. Exempli gratia: In virtutibus moralibus, secundum virtutem prudentiae, in operatione boni imperturbabiliter agentes, & non impediti, sedatis passionibus, beati sumus vt homines felicitate civili: & in virtutibus intellectualibus secundum virtutem sapientiae in speculatione veri, imperturbabiliter, & non impediti, vacantes ab omni opere exteriori, beati sumus vt homines felicitate speculatiua, tanquam perfectionem illarum assecuti, prout sunt nuda virtutes. Hic tamen non debet quiescere Christianus, finem scilicet virtutum ponendo in operatione boni, quò ad regimen vitae, & in veri speculatione circa creaturas ex creaturis accepta: sed finem earum ponere debet in dilectione boni illius, quod est summa omnis boni,

L. I. 2 & in

Finis vic-
tuuum.

& in veri illius cognitione, quod est summa omnis veri: nō quantum naturaliter ex puris naturalibus debet diligī & cognosci, sed quātum per fidem & adiutorium diuinā gratiā. Et tunc virtutes, quę dicuntur à Philosophis humana; dicuntur à Christianis gratiā per gratificationem Spiritus sancti, cuius adiutorio sunt factę. Et non differūt nisi sine, quem finem, vt sunt gratiā communem habent cum donis & beatitudinibus: quibus cum homo fuerit perfectus, tunc fructū ex finis adeptione, & coniunctione cum ipso sine, quantum præsens vita patitur, percipit, tanquam verè beatus felicitate, qua felices sumus, nō iam vt nudi homines, sed solummodò vt super homines ceteros excellentes, vt pote, quasi iam dii effecti, quia Deo coniuncti.

Ad maiorem autem euidētiā sciendum, quòd sicut homo spiritualis carnem suam nutrit & fouet, vt Dei creatura saluetur: & eam in desiderijs eius implendis negligit, ne diuina iustitia per hoc offendatur: sic e conuerso carnalis homo carnem suam per vniversa vitia sinit effluere, diuinam cōtemnendò iustitiam, ne desideria illius offendantur. Quod tam in viris spiritualibus, quàm carnalibus quidam faciunt more humano, quidam modo superhumano, quidam verò modo inhumano. Et secundum hoc, tanquam ex operibus nobis cognitīs, secundum gradus perfectionum per ordinē distinctos, ponamus distinctionem secundum gradus & ordinē, tam in habitibus laudabilibus, quàm in vitijs eis oppositis. Quod vt per exempla manifestius pateat, assumamus ad hoc vnum habitum virtuosum, scilicet fortitudinem ex parte spiritus, & vnum vitiosum, scilicet luxuriam ex parte carnis. Nam sicut homo carnalis humano modo curam carnis habere dicitur in desiderijs eius explendis, quando modo naturali quærit eius delectationes, naturæ limites non exiens in fruendo veneris delectationibus: sic spiritualis humano modo carnē suā in explendis eius desiderijs negligit, eam periculo mortis exponens, ne diuinam offendar iustitiam: quod fit per fortitudinem, prout est virtus, præcisam habens rationem virtutis, quæ curam carnis gerit, non exponens eam periculo mortis, nisi quādo & quomodo oportet, & hoc ne offendar diuina iustitia, & bonū virtutis, secundum quòd dicitur 3. Ethicorum: Fortis instupefactibilis est, vt homo timebit quidem vt oportet, & vt ratio dicat sustinebit boni gratia. Hic enim finis est virtutis, & in hoc consistit fortis dilectio: quia tamen secundum fortitudinem, quæ virtus est, cum tristitia & dolore sustinet aspera carnis, & vellet

Fortitudo
virtus.

vellēt non sustinere, & opportunitatem non adesse talia sustinendi: sed cum adfint conditionaliter, mauult talia sustinere, quā bonum virtutis offendere, quamuis hoc faciat cum tristitia & dolore. Secundo, sicut carnalis superhumano modo curam carnis habere dicitur in desiderijs eius explendis, cum hoc facit modo supernaturali, limites naturæ exiens per exquisitas malicias, venereas quærendo delectationes: sic spiritualis in desiderijs Spiritualibus explendis carnem suam negligit, ne diuinam iustitiam & bonum virtutis offendant, cum carnem suam superhumano modo mortis exponit periculo, quando & quomodo oportet. Iam quidem non cum anxietate & dolore, sicut fortis virtute fortitudinis, sed cum gaudio & exultatione, sicut fortis de dono fortitudinis, iuxta illud Luca: *Gaudete & exultate in die illa, &c.* Tertiò, sicut homo carnalis inhumano modo curam carnis habere dicitur in explendis eius desiderijs, quando contra modum naturæ, & extra limites naturæ eam libidine commaculat, scilicet cum bestijs, vel masculus cum masculo turpitudinem operando: sic spiritualis inhumano modo carnem suam in explendis eius desiderijs adeò negligit, quòd eidem inhumaniter velut asino vix necessaria vita concedit, diuersis eam miseris exponens, & quantum in se est, opportunitatē affectans, vt eam pro bono virtutis & iustitiæ, morti frequenter exponat, vitam habens in radio, & mortem in desiderio: quod fit per fortitudinem, quæ est beatitudo. Et hic vocatur modus inhumanus, quia fit potius habitu diuino, quā humano. Hinc Philosophus vocat hanc virtutem heroicam, id est, diuinam, quæ scilicet ex hominibus fiunt dii propter virtutis excellentiam. Dicitur enim virtus diuina, cum quis virtutem dirigit super omnem hominem, & humanam virtutem, quia talis virtus inest hominibus iam Deo vnitis, & quodammodo deificatis propter nimiam approximationem, & assimilationem ad Deum. Admirabilis quidem & supernaturalis est homo ille supremum virtutis attingens, & super omnes homines virtutem dirigens, quæ virtus homines quodammodo deos constituens, ineffabilem fruitionem diuinæ dulcedinis eis administrat. In quolibet ergo genere virtutis dicitur esse opus virtutis, vt virtus est, cum illud agit vt homo, & humano modo. Dicitur autem opus esse doni, vt donum est, cum illud agit vt homo, sed superhumano modo. Dicitur autem opus esse beatitudinis, vt beatitudo, cum illud agit vt homo, sed vt iam deificatus, iuxta illud Psalmistæ: *Ego dixi, deus estis.* Ex his ergo patet, quòd donum

Fortitudinis donum.
Luca 6.

Beatitudo.

Virtus diuina.

Psalm. 81.

potest in id, in quod nō potest nuda virtus: & beatitudo in id, in quod non potest donum secundum rationem doni: & fructus in id, in quod non potest beatitudo sub ratione beatitudinis, quia non semper beatus, beatitudine viæ percipit fructus.

De fruitione diuina in hac via, & in patria: ac de primo fructu Spiritus sancti, qui est caritas, qua tria in nobis operatur. Cap. LII.

Sub umbra illius, quem desiderauerā, sedi. Fructus isti spiritus non dicuntur in nobis novos habitus, sed consolationum status, quibus Spiritus iustorum consolantur, & in eis delectantur, quæ delectationes consequuntur opera perfectā. Vnde, quia procedentes à Spiritu sancto mentem delectant, sicut fructus materialis procedens de arbore, percipitur cum quadam suauitate; ideo nomine singulorum fructuum intelligitur ipsum opus cum delectatione ex ipso consequente, vel ipsa delectatio consequens ex opere: quam delectationē Deus summè requirit in opere, dicente Psalmista: *Delectare in Domino, & dabit tibi petiuites cordis tui.* Delectatio in Domino, est delectatio bonæ conscientie, & sapor castitatis, humilitatis, patientiæ, charitatis, mansuetudinis, & aliarum virtutum. Quæ delectatio maior est omnibus alijs delectationibus corporalibus. Et cum in his delectamur, in Domino delectamur. Amor enim verus, qui, secundum Gregorium, nunquam potest esse otiosus, sicut semper cogit ad praxim, & opera bona, licet eidem semper quædam fruitio comitatur, vel quidam amor fruitiuus. Et quanto magis sui vehementia, puritate ac perfectione propinquat amori æternō, tanto magis & ipsi fruitioni propinquat, quæ quiescere cogit in dulcedine diuini amoris: quod dicitur *in iugum Domini suauē*. De quo Bernardus: O iugum amoris Christi, quàm dulciter capis, quàm gloriose illaqueas, quàm fortiter stringis, quàm suauiter premis, quàm delectabiliter oneras: quia nimirum amor Christi est participatio quædam diuina natura in nobis, & per eam Trinitas habitat in nobis, sicut amans habitat in amato, & econuerso. Amor enim transfert amantem in amati similitudinem quantum potest, etiā quantum ad consimiles operationes arduorum & difficilium: & exinde redditur *in iugum Domini suauē*. Sicut enim, secundum Thomam in libro de Beatitudine, fruitio patriæ est delectatio proueniens ex perfectā cōiunctione intellectus, & affectus in Deū, utpote cum anima figit intellectum in

Psalm. 36.

Delectatio spiritus.

Matth. 11.

Fruitio patriæ.

eter-